



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...**

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex  
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum  
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

**López, Luys**

**Lvgdvni, 1588**

An secundum beneficium, & quale recipiens maneat priuatus primo, & de.  
17. casibus fallentiæ, & soluuntur argumenta in gratiam pluralitatis  
beneficiorum antea posita. Cap. CIIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41259**

ta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Or-  
tat autem sancta Synodus, vt resignantium necessitatibus  
commoda aliqua ratione, prout summò Pontifici videbitur  
prouideatur.

**Q. 3.** ¶ Porro si quis sciscitetur beneficiorum fructus vaca-  
tionis tēpore, in cuius usus cedant: en sibi absolutionem  
rogata quæstionis damus dicentes beneficiorum fructus  
vacationis tempore in utilitatem ecclesie expendi de-  
beri, vel successori fore reservandos. Alioquin in cathedra-  
libus ecclesijs, vel regularibus, & collegiatis, si fiat con-  
tra per capitula, cōuentus, collegia, vel singulares persō-  
nas, ipsi contra facientes tandiu suspensi sunt ab officio,  
& beneficio quandiu non satisfecerint, & quousq; satisfac-  
tionē præstiterint, non obstantibus privilegijs, consue-  
tudinibus, vel statutis etiam iuramento, vel sedis Aposto-  
licæ autoritate firmatis, cap. quia sæpe de electio. ab Alex-  
andro, similis prohibito generaliter, est de omnibus ecclesijs.  
Vide caput præsentis de officio ordinarij, lib. sexto, & quo-  
modo episcopi, & superiores in hoc culpabiles sunt sus-  
pensi ab ingressu ecclesie.

¶ Ad hæc quoniam de applicatione fructuum tempo-  
re vacationis meminimus: nota quod vt habetur cum  
qui de præbendis libro sexto, quando aliquis vitiose, &  
de facto nascitur possessionem alicuius beneficij, etiam  
quod tenura sit nulla, quia à non habente potestate con-  
ferendi data est alia beneficia, quæ cum illo simul teneri  
non possunt vacare dicuntur.

¶ Aduerte tandem quod beneficiarius fructus sui be-  
nificij in plures quam tres annos locare prohibetur, vel  
in emphyteusim dare, Clementi. de reb. ecclesie: nō alien.  
& est excommunicatus in terris, vbi quoad has penitas  
etiã recepta est extrauagã Pauli, de quo agit Nauarrus.

e Nauar.  
Sum. Lar.  
c. 25. num.

126. & c.

25. nume.

147.

¶ An secundum beneficium, & quale recipiens maneat pri-  
uatus primo, & de. 17. casibus fallentie, & soluntur argu-  
menta in gratiam pluralitatis beneficiorum antea posita.

## CAP. CIII.

**Q. 1.**

¶ Quoniam omnia rimanda sunt dubia vnde resolu-  
tio fructuū accidere potest, ne quid sub silencio ma-  
neat.

beat, adhuc quaeritur an habens beneficium curatum, si secundum eum cura recipiat, ipso iure primo beneficio priuatus maneat. Dicimus ergo statim adhibita solutione, quod talis statim proculdubio priuatus est primo, simul ac pacificam possessionem secundi adeptus est, ut diffinitur de multa. de praebendis, vel quando per eum stetit, quominus haberet. & nisi primum resignet in manus eius cui competit, ipso iure est etiam priuatus secundo, in habilibusq; sit ad sacros ordines, & ad quodcumque beneficium, cuius dispensatio ad papam pertinet per extravagantem Ioannis 2. quae incipit execrabilis, quia secundum Syluestrum, verbo, Beneficium. 4. §. 6. fallacia. 17. omnia talia beneficia vacatura, ipso iure referuntur apostolicae sedi, & si alius disponat de eis, non valet. Haec Ioannes 2. 2 in extravaganti, quae incipit, Execrabilis. Concordat Alberic. Habet autem haec regula locum in prioratibus curatis, ubi praeficiuntur religiosi, ut in cap. cum singula. de praebendis. lib. 6. imo etiam idem seruaretur etiam si prioratus non esset curatus, ut dicit textus in Clemet. quia regulares de suppl. negl. praelat. in fi. & similiter habet locum in praebendis, quando tam prima, quam secunda est in eadem ecclesia, quia tunc ipso iure vacat prima, ut cap. literas de concessione praebendarum, etiam si acceptaret secundam iure annexionis, ut in Clem. fin. de praeb. alias non loquitur in praebendis secundum Vincentium, & D. Anzo. quia non est eadem ratio sicut de beneficijs curatis, haec Syluester.

¶ Armilla vero, verbo, Beneficium. §. 44. ait quod haec regula tenet in omni beneficio quod requirit residentiam non absolute sed residentiam sub poena priuationis beneficii, ut si statuto, vel consuetudine hoc caueatur, in glossa cap. gratia. de rescriptis, lib. 6. quia tunc est eadem ratio, alias fecus, quia in iure non reperitur expressum, sed in hoc dicto postremo Armilla, & glossa standum esse censet consuetudini, quae vel vim obtinet legis vel interpretata est legis, sed cum dictis concordat Panorm. in cap. quia nonnulli de cler. non resid. unde eius sententia standum puto, quia concordat cum Armilla & glossa, maxime si consuetudo accedat, & hoc dicere est tutus.

¶ Regula supradicta est, quod habens beneficium curatum,

a cap. licet.  
2. de praeb.  
lib. 6.

tum, si secundum cum cura recipiat ipso iure priuatus est primo, & vacat primū, & idē de habente personatum, vel dignitatē si secundū personatum, vel dignitatē accipiat, & hic secundum Hostiensē, Ioannem Andream, & Innocentium beneficium curatum intelligitur largē, etiam de ecclesia cathedrali, seu capella curam habente parochianorum de iure, vel de facto, dummodo parochiam habeat, in qua parochiale ius exerceat, siue dignitas sit, siue officium, siue ecclesia, sicut sunt multi archipresbyteri, archidiaconi, & decani qui nullam habentes ecclesiam curam præsent, habent tamen iurisdictionem supra multa loca, sed tamen quo ad dignitates secundum aliquos intelligitur regula quādo sunt in eadē ecclesia, ut videtur colligi ex dicto cap. de multa, & per do. Ant. ibi dignitates, autem & personatus secundum Innocentium fere semper accipiuntur pro eodem licet secundum Hostien. in aliquibus locis differant. Intelligendum est ergo nomen dignitatis & personatus secundum institutionem & consuetudinem ecclesiæ, secundum etiam Ioan. And. ¶ Hæc inquam regula fallentias plurimas patitur, in quibus ipso iure non vacat primum.

*b cap. de multa. de elect. dist. 2.* ¶ Primò, hoc fit cum dispensatione sufficienti. ¶ Secundò, secundum Hostien. quando primum, vel secundū beneficium est curatum habitu, non actu, scilicet quia non actu habet parochianos, ut quia derelictus est locus de elect. licet can. lib. 6. Innocentius tamen, & Abbas videntur tenere contrarium. ¶ Tertio, quando alterum beneficium non habet curam de se, sed per vnionem alicuius curati. de præbendis. super eo. ¶ Quarto, quando ignorabat se habere beneficium tale, quia tunc sibi datur optio de rescriptis gratia. lib. 6. ¶ Quintò, si non sciebat se illud habere de iure, & si de facto non habebat, ut quia erat spoliatus: primo stat regula secundum Vincentium qui hoc notat in dicto cap. dudum. reperit tamen fructus primi, quos percipere poterat vsque ad receptionem secundi. ¶ Sextò, quando secundi beneficii fructus alius ad tempus, ex causa, puta papæ concessione percipit: ut de præbendis cap. si tibi concessio, quia pro tempore quo ad alium pertinent dicti fructus, non censetur vacare primum: quod tamen Henricus Boich verum esse dicit secundum

secundum Ioan. And. & Archidiaconum. quantum ad perceptio-  
nem fructuum primi beneficii, vacat tamen quantum ad  
hoc, ut postquam pacificam possessionem administratio-  
nis secundi beneficii habuerit, debito tempore conferra-  
tur, vel locum habebit Lateranense. ¶ Septimò, fallit si  
secundi beneficii pacificam possessionem administratio-  
nis non habuerit, nec per eum stetit quin haberet, quia  
tunc non vacat primum, secundum Hostien. Innoc. Henri.  
¶ Non. & est textus in Clem. si plus. de præben. ¶ Octauò,  
fallit in episcopatu, secundum Innoc. in cap. cum nostris.  
de concess. præbendæ, quem sequitur dominus Ant. &  
Ioan. And. & Imola, in Clementina grande. de rescrip. &  
facit textus. 7. q. 1. in verbo. Carebit, quod est verbum fu-  
turi temporis, & sic videtur requiri sententia. glossa tamè  
in cap. relatio. 21. q. 1. tenet quod regula in episcopatu nõ  
fallit, sed primum est verius, quia non vacat per adeptio-  
nem secundi beneficii, siue sit superius, siue inferius, siue  
æquale, cum episcopatu expressè, vel tacitè renuntiare  
non possit, sine licentia papæ de translatione episcopi  
inter corporalia.

cap. Nul  
la. de cons-  
ces. præb.

¶ Sed an idem sit dicendum de quocunque alio bene-  
ficio, quod quis cum alio non potest tenere nisi dispensa-  
tur, scilicet quod in illo regula fallat queritur, nam sum-  
ma Angelica ait regulam fallere, quia tunc non vacabit  
primum, per receptionem huiusmodi secundi, sed certe  
auctore Syluestro quem sequimur in hac parte hoc patet  
esse falsum ex ratione, quam assignant dicti doctores.  
Item quia secundum hoc, per prædictam regulam non  
vacarent nisi beneficia insufficientia, quia nullum suffi-  
ciens potest teneri cum alio superueniente nisi dispen-  
satur. Vincentius autem ponit alios duos casus super ca-  
pitulum. ¶ Nono, igitur fallit regula, ut notat Bernar-  
dus in cap. dudum. in beneficijs vnitis vel dependentibus, vel  
commendatis, vnde si secundum curatum quis adipiscitur  
per viam annexionis, quia est annexum non curatum, non  
vacat primum curatum de præbendis super eo. lib. 6. ¶ Deci-  
mo, fallit secundum Vincentium si colore, & non animo  
beneficij perpetui, recepit secundum, quia posset tunc pec-  
care. 11. q. 6. si quis libellos de pœnit. dist. 1. diuortium.  
Item si in continenti sit deiectus. ¶ Vndecimò, fallit si  
secundum

secundum recipit in episcopatu alieno sine licentia sui episcopi, à quo repetitur, quia quamuis priuatus sit primo quantum ad se, non tamen quantum ad praelatum suum, si sine licentia ipsius trāsit quod animaduertit Ioan. 21. q. 11. si quis iam translatus. Et concordat Gofr. & Hostien. ¶ Decimo secundo fallit regula in eo, qui de proprio expensas fecerat in primo, propter quas competenti sibi retentio primi, secundum Ioan. de Lig. Do. Ant. & dominum Abb. per tex. 12. q. 4. quicumque. Et sufficit tales expensas esse vtiliter acceptas, licet deinde totum perierit à casu secundum Ioannem Andream in cap. ex parte de conf. vt quia domum factam statim ignis combussit. Et ex his infert dominus Abbas, quod si clericus moritur instantatus, heres reperere potest expensas, quas fecerat in beneficio, sed hoc intelligit Syluest. si expendisset de bonis sui patrimonij, & hoc de expensis factis ante receptionem secundi Secus de factis postea Instituta de rerum diuisione. §. certe. ¶ Decimo tertio fallit etiam in eo qui protestatur, quod primum dimittere non vult, quia tunc facere agit praelatus sibi concedens secundum: & postea in hoc casu locum habere Conci. Lateranense, scilicet quod non tenet collatio secundi. 4. ¶ Vnde secundum Hostiensem si quis recepit secundum minus pingue, non videtur primum vacare, cum non videatur habere animum deserendi primum propter secundum, & maxime cum errant arg. distin. 74. quorundam qui licet hanc opinionem verā in scholis dicat, fatetur tamen eam esse falsam in iudicijs, & in curia non seruari. extra hos casus qui retinere primum contenderit, etiam secundo priuabitur, in dicto cap. de multa. Hodie tamen vt dicere cepimus per extrapaganem Ioannis. 22. quæ incipit, Execrabilis. Si recipiens secundum primum, quo priuatur, absque moræ dispendio, verbo vel facto in manibus ordinarij, sub testimonio publico nō dimittat, priuatus est secundo, & inhabilis sit ad sacros ordines, & beneficia. Hęc omnia Ioannes Andream in noue, super cap. de multa. exceptis his quæ ponuntur et Henrico de Boich. ¶ Decimo quarto addi potest casus quando quis acceptaret secundum per calorem iracundie secundum Ioannem Andream, & Antonium de But. gloss. in cap. ex literis de diuort. quæ vult, quod confessio ex iracundia

*d cap. quia  
nonnulla de  
c. etic. non  
resid.*

iracundia facta non præiudicet. ¶ Decimo quinto  
fallit regula, quando acceptat ad tempus puta donec ali-  
quod fuerit beneficio prouisum secundum Petrum Ancha-  
nam, capitulo primo de consuet. libro sexto, exempli  
gratia, dicit statutum quod mortuo episcopo archipres-  
byter administret iurisdictionem spiritualem eius, donec  
alius fuerit creatus. ¶ Decimo sexto fallit regula, ubi ha-  
bentur beneficia curata, confertur aliud curatum, non  
illata fide dispensationis, quia nec valet collatio ultimi,  
nec vacant priora. de officio ordinar. libro sexto, quod  
procedere ait Syluester. Si secundum beneficium acce-  
perat tantum, possessionem eius minime nactus, quia si  
eum fuisset nactus, vacarent priora, ut in Clemen. si plu-  
res de præbendis. nec tamen in hoc casu valeret collatio  
ultimi, & ita hanc materiam intelligit glos. in dicta Cle-  
mentina. ¶ Decimo septimo fallit in casibus, in quibus  
licetum est habere plura beneficia curata, de quibus in  
cap. dudum. de electi. el. 2. cum glossa verbo intitulatam,  
& supra in principio. Quicumque igitur præter hos casus  
accipit personatum, aut dignitatem, seu officium vel be-  
neficium habes curam auimarum, si ante obinebat simi-  
le, cum sit priuatus primo postquam possessionem obti-  
nerit de secundo, vel per eum sterit quominus obtineret:  
conferatur absque mora dimittente primum in manibus ordi-  
narij, in cuius episcopatu hoc fuerit. Alioquin & secun-  
do est priuatus ipso iure, & non solum ad sacros ordines:  
sed etiam ad omne aliud beneficium est inhabilis, & ut  
peracti sumus iterumq; repetimus. & omnia talia vacatu-  
ra beneficia ipso iure reseruantur Apostolicæ sedi, & si  
aliquis disponat de eis non valet, ut patet in prædicta extra-  
uaganti execrabilis.

¶ Ad argumenta igitur in principio allata pluralitate  
beneficiorum contententia iustificare respondentes, pri-  
mum sic distinximus, negando, quod si aliqua consuetudo  
moleuit in contrarium sine iusta causa, & dispensatione  
obtinendi plura beneficia in titulum diuisa, eam esse licitâ  
consuetudinem, quatenus est contra ius naturale, sed po-  
tius esse abusum. Dicimus quod si ea possidentes aliter  
quam iura concedunt, tolerantur, id per patientiam fit si-  
cut etiam aliqui peccatores per patientiam impuniti  
relinquuntur

relinquuntur in foro exteriori, sed non sunt sustinendi in foro Dei, id est conscientia.

¶ Ad secundum quando arguitur ex paritate officiorum secularium, quorum plura per reges solent eidem officio licite aggregari, ergo eodem modo licebit in beneficiis ecclesiasticis: dicimus ipsam in promptu oblatam dispensationem secum afferre argumēti conspicuam solutionem, tum quia non est eadem ratio, quia beneficia ecclesiastica magis exactam, & continuam residentiam postulant, quam officia secularia, tum quia officia temporalia habent suum dominum temporalem in terra nempe rempublicam, aut principem eius vices gerentem. Nam princeps officiorum suae domus saltem est dominus, nullusque, iure prohibetur pro libito ex his vni plura tribuere, atque concedere, pluraque suae domus munia in vnum adunare officialem: sicut etiam contingit in casu, quo ducissa potentis ducatu, nubat duci potenti alio ducatu, iam primogenitus filius eorum in duplici ducatu succedet statum, & dignitatem, & iuste quidem. Fatemur autem quod & pro nobis facit, quod si rex in his officijs, in quorum distributione iustitiam distributivam in republica servare tenetur, eam non servet, nempe quia plura eorum in vnum sine causa, & meritis, coaceruat, quia tunc alijs dignioribus irrogat iniuriam, non immunis in hoc facto sit a peccato. ¶ Si verò talia sint in republica officia, quae non veniant distribuenda à rege ex vi iustitiae distributivae multoties peccabit contra iustitiam commutativam plura eidem, vel indigno si aggreget, quia inde reipublicae paratur iniuria, cum certum sit non ita regulariter bene gubernari in pluribus officijs per vnum, sicut per plures.

¶ Igitur pro regula sit constanti ratione naturali firmata, quòd tam in temporalibus, quam in spiritualibus officijs nemo plus muneris, quam possit implere potest subire: quia & dominus hoc significasse aliquantulum videtur, dum astruit neminem exacte posse duobus dominis servire. Vnde sicut qui vno beneficio indignus iudicatur, & est, non potest illud suscipere: sic si dignus est tantum, & idoneus duntaxat ad parvum officium, vel beneficium, non potest adire arduum, aut magnum, suisque humeris impar, ita si solum par sit viribus, & industria dignus



dignus ad vnum, non potest sibi præripere, aut præoccupare duo.

¶ Ad tertium vero argumentum sic eius solvimus bimembrem obiectionem, quando arguitur, ista pluralitas beneficiorum prohibita est, vel propter excessum stipendij, aut propter excessivam curam animarum, quæ ab vno solo suscipitur, quia dicimus non tantum excessivum stipendium, quod vnus solus fert huius prohibitionis causam esse, sed curam animarum excessivam, & vnus huius imparem prohibitionis potissimam esse rationem. Quia per se loquendo rationis dictamē dicitur, quod vnum officium, seu beneficiū debeat vni sicut vni corpori vnum debetur caput, & quod duobus debeatur duo. Nec accidēs vero accidit, quod licitè interdum ex aliqua iustificante circumstantia vni tribuantur duo: vnde cōtingere casus potest, quod licite beneficiarius aliquis potiat præbēda quotannis reddenti mille aureos, qui tamen illicite, obtineret quatuor præbendas omnes simul minorēs reddentes redditus nēpe solū octoginta aureos duntaxat, nec huius differentię alia redditur ratio, quā quod ista est vna præbēda, & aliæ sunt plures.

¶ Si autem episcopatus, aut præbēdæ pinguisimæ sint, ad providentiam Papæ spectabit id prospicere, an bono ecclesię expediat talium episcopatum, vel præbēdarū diuisio, sicut eōtra an ex pluribus episcopatibus vnū, vel ex duabus præbendis vnā constare conducat id discernere eiusdem summi Pontificis est munus. Poterit tūc ex iusta cōcurrente causa diuidere vel vnire. Itaque vnio beneficiorum, vt contingit, fit dupliciter, quia aut talis vnio fit in beneficio, aut fit in persona, seu ad vitam. Primam quidem vnionē Papa facere potest si expediat, quod si sine causa fecerit, facta tamen tenebit. Si tamen sic vnionem secundam in persona sine causa fecerit, vt prædiximus, & quoad fructus, & quatenus est contra ius naturæ non sustinetur in foro conscientię. Quare ea plura beneficia sine causa possidens, non manet tutus in conscientia, sicut etiam securus in conscientia non manet ille curatus, vt antea diximus, qui curam habens animarum non residet sine causa iusta à residentia excusante, & etiam si mille se velit dispensationibus proteclare, non est absol-

T uendus,

uendus, etiam si cōqueratur. ¶ Si autem beneficium obtinet simplex exigens residentiam dum sit alicuius momenti, si ei sufficienter non inferuit per se, vel per alium, nec etiam absolute est dignus, quare sibi merito est deneganda. Si verò beneficium simplex sit, iam meminime dixisse in hoc casu, quod si substituerit aliū dignum, ita ut nullum ecclesie detrimentum inde sequatur, quantum non sit in hoc omnino excusandus, quia de hoc non potest tam certo constare, tamen in hoc casu non videtur illi neganda absolutio: quia tunc per vicarium idoneum in simplicibus deferuire non ita videtur esse ex genere mortale, & tunc habet maxime locum dispensatio episcopi, vel Papæ, & si ecclesia non reclamaret. Quæ licet fuerint antea à nobis dicta hæc: rursus hic consulto epilogamus, ut memorie altius insigantur rursus repetentes, quod sicut secundum Concilium Tridentinum privilegatorum super percipiendis fructibus in absentia causa est per episcopum approbanda, sic ne consultore, & istorum causa non residendi, & an recte prouiderint per vicarium, erit examinanda & probanda, quia alioquin carus est quisq; iudex in propria causa.

¶ Sed & de canonicis, & choro adiectis & habentibus in ecclesijs cathedralib⁹ vel collegiatis canonicatus, dignitates, prebendas, portiones, quomodo vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses absenteis non licet quotannis, iam diximus ex Concilio Tridentino, sessione vigesima quarta, capitulo decimosecundo, & sub quæpœna eis residere præcipitur, vide ibi vbi denouotabis, cōcilium ibi adijcere quod distributiones, qui statutis horis interfuerint, recipiāt, reliqui quantis collatione aut remissione exclusa his careant iuxta Bonifacii, sed oppositum retro ex Nauarro dixeramus.

¶ At verò maxime memorie commendatione dignum quod eod. cap. adijcit concilium, scilicet quod omnes per se, & non per substitutos diuina compellatur obire officia, & episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercere assistere, & inferuire, atq; in choro ad psallendum instructo, hymnis, & canticis Dei nomen reuerentur deuote distincteq; laudare. Quare nec tam liberè cum his prædictis beneficiatis ad hæc officia deputatis super eorum

non

non residentia per se potest episcopus dispensare, nisi forte quia ibi in fine adiungit concilium in hæc verba, interea episcopus non minus quam cum duobus canonicis, quorum vnus ab episcopo, & alter à capitulo eligatur, in his quæ expedire videbuntur, poterit prouidere, prouideat episcopus cum prædictis duobus canonicis, an ille qui per alium residet sufficienter satisfaciatur sine læsione diuini cultus, aut ecclesiæ, alias non essent isti tam ruti in conscientia, cum secundum concilium Tridentinum compellendi sint sua ministeria per seipsos obire.

*¶ An parochiam nactus ad sacerdotium promoueri non intendens, aut de hoc dubitans, aut hoc conditionaliter proponens teneatur restituere fructus, & quid de postea intendente, & si sit idem iudicium de alijs beneficijs.*

C A P. C V.

**I**n cætera ad materiam de fructibus attinentia dubia prosequentes, illud haud intellectu facile primò hic agendum proponimus, scilicet, an qui parochialem nactus est ecclesiam ad sacerdotium promoueri non intendens, ex hoc defectu intentionis, restitutioni fructuum obnoxius fiat. Placet autem, antequam qualem difficultatem hæc quæstio præferat, aperiamus, verba summaria textus commissa, de electione in 6. prout in summario iacent subijcere. Quatuor enim iste textus edicit, seu insinuat. Primò quod quo ad penam priuationis rectoris parochialis ecclesiæ non promoti, requiritur quod annus integer sit completus. Secundò quod annus ille non currit iuste impedito. Tertio quod post priuationem ecclesiæ eidem conferri non potest. Quarto quod non promotus si eo animo receperat ecclesiam, vt fructus anni perciperet, teneatur ad restitutionem ipsorum, & qui ea mente contulit ecclesiæ, teneatur seruare indemnem. Vbi in textu quoque hæc verba habentur, cæterum si promoueri ad sacerdotium non intendens parochialem receperis ecclesiam, vt fructus ex ea per annum percipias ipsam postmodum dimissurus, nisi voluntate mutata promotus fueris, teneberis ad restitutionem fructuum eorundem, cum eos receperis fraudulenter.

T 2 ¶ Verbis